



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

Eas virtutes à quolibet iusto exerce[n]das esse ad quas vocatur, ac de
feruore in exercitatione seruando. Cap. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

Cant. 1, 6.
Iob. 10, 2.
Psal. 24, 4.
Psal. 22, 3.
Psal. 26, 4.
Psal. 25, 8.
Psal. 88, 15.

gendi, potiora sunt his, quæ pro actibus exterioribus data sunt: ex quo facile est intelligere, maiorem vim proficiendi interno labori mentis, quam externa occupationi corporis inesse. Mens ergo exteriora virtutis opera non deferat, sed cum maiori sollicitudine actibus internis inuigilet. Quos omnes Bernardus non incongruè ad tria capita reuocauit. Interpretans enim illud: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie;] addit: & alius quidam: Indica (inquit) mihi, cur me ita iudices,] vbi non sanè sententiam causatur, sed scrutatur causam, erudiri flagellis petens, non erui. Item alius precatur, dicens: Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Quas dixerit vias vel semitas, manifestat alibi: Deduxit me, inquit, super semitas iustitiæ. Ergo tria ista, anima curiosa Dei non cessat inquirere, iustitiam, & iudicium, & locum habitationis gloriæ sponi, tanquam viam, in qua ambulet, cautelam, qua ambulet, & ad quam ambulet mansionem. De qua mansionem sic habes in Propheta: Vnam petij (inquit) à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et iterum: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Porro de reliquis duobus: Iustitia & iudicium, ait, præparatio sedis tuæ. Merito tria ista mēs deuota requirit, vt pote sedem Dei & sedis præparationē. Et pulchrè in sponiæ prærogatiuam concurrunt pariter omnia ad consummationem virtutum, vt de forma iustitiæ sit formosa; de iudiciorum notitia cauta; de desiderio præsentis seu gloriæ sponi, casta. Talem profus ecet esse sponiam Domini, pulchram, eruditam, & castam. Hactenus ille. Ex quo apparet, animam sanctis cogitationibus & meditationibus erudiri, iustitiæ, id est, omnis virtutis, affectibus formosam fieri: & desiderio ac amore cœlestium emundari. Exteriores igitur virtutis actiones sedulo diligentèrque suscipiat, sed eas internis actibus informet: & cum illæ ex necessitate cessauerint; isti, qui solum à gratia nobis assistente, & ab hominis voluntate pendent, cessare non debent. Sit anima sicut apis, quæ in alueario nequaquam ociosa manet, sed suauissima mella conficit, intra se ipsam affectibus, siue internis actibus dulcissimos fauos mellis, id est, virtutes ipsas efficit. Nam sensibus vt, & sensibilia percipere, est quasi flores carpere, ex quibus iustus vir per intellectum & affectum mel conficit, dum omnia, quæ videt, quæ audit, quæ odoratu aut gustu percipit, & quæ contrectat manibus, in vsum boni, ad propriam confusionem, & humilitatem augendam, & ad incrementum aliarum virtutum, conuertit.

Exercitatio tandem virtutis, præter hæc duo, tertium etiam requirit, vt scilicet cuiusdam virtutis actibus, non tantum ipsam, à qua procedunt, sed aliam queramus, vt quasi accessione amicorū, ad id quod cupimus, consequendum inuenimur. Rex enim, qui solus non potest hostem vincere, solet alium regem amicum in auxilium euocare. Ita & vna virtus, quæ regina est, aliam ad vincendum vitium sibi contrarium aduocat, cum anima ad huius victoriam, non propriis solum virtutis actibus, sed alienis quoque, id est, alterius virtutis operibus elaborat. Vnam autem virtutem ad alterius adeptionem admodum esse vilem, Deotheus ex patrum sententia docet, sic scribens: Hoc autem ignorare vos nolo, eum, qui libenter ægro deseruiat cum cognitione, releuari mirabiliter ab animi passionibus & diaboli impugnationibus. Noui enim fratrem acriter oppugnatum à fornicationis demone, & cum ægro ex dyfenteris deseruiret, ab hoc bello esse liberatum. Et Euagrius

Dorothei, doct. 14.

A natrat de seniore quodam maximo, quod discipulum suum, huiuscemodi phantasmatis nocte oppugnatum hac via liberauerit, indico scilicet illi & ieiunio & ægri curam. Et de re hac interrogatus respondit: Nihil esse quod adeo passiones huiuscemodi extingueret vt misericordiam. Hæc ille. Sed & Petrus Apostolus videtur huic doctrinæ fauere. Vos autem, inquit, curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Est ac si dicere: Fidet exercitationem assumite ad virtutem, id est, fortitudinem acquirendam; quia mysteria fidei efficaciter credita, attentè que considerata, mirabiliter animam roborant ad sustinendam quæque aduersa occurrentia. Fortitudinis laborem ad obtinendam scientiam acceptate; quoniam fortiter aduersa tolerantes, & quasi à lacte sæculi auulsi, apti eritis de rebus agendis illustrari. Scientiæ studium in abstinentiæ augmentum collocare: nam cognitio agendorum & cauendorum, hominem à nimio cibo & potu abstrahit, & à crapulæ & ebrietatis mibo auerit. Abstinentiæ parcitatem ad patientiæ incrementum accipite; nam qui scit, hunc animale appetitum refranare, dicit in rebus aduersis patientiam habere. Patientia fit vobis vsui ad pietatem: nam qui sine indignatione patitur, ipsa mentis lenitate ad Dei cultum reuerentiæque disponitur. Pietas amorem fraternitatis foneat, quia dum Deo cultum exhibetis, & eius benignitatem admiramini, facilitatem ad diligendos fratres, & eis benefaciendi desiderium experiemini. Ac tandem amore fraterno erga Deum charitatem prouehite, quia hoc præstantissimum sui amoris donum ille beneficis, & amatoribus fratrum impertit. Vnius ergo virtutis actiones ad aliam assequendam iuuant, & impedimenta tollunt, adiūmque aperiant, vt hæc, quam optamus, introeat. Cum enim virtutes vniuersæ, sorores sunt, non mirum, si se mutuo adiuuent, & non solum propriis actibus quælibet, sed sororis etiam suæ studiis accrescat. Vidimus certè, summa quadam taciturnitate immoderatum risum & morum leuitatem vincij; charitatis operibus donum orationis & contemplationis obtineri; dono orationis castitatem prouehi; castitate, humilitatem, & erga Deum gratitudinem comparari. Et sic dum vna virtus in auxilium alterius accersitur, & vt altera pullulet, exercetur; illa suis propriis actibus crescit, & mens, pro alia assequenda, in studio illius prioris defudans, hanc etiam à Domino promeretur. Hoc ergo instrumentum in hoc positum est, vt qui aliquam virtutem obtinere desiderat, eam exercitatione actionum ipsius, tum internarum tum externarum discat, & aliarum etiam virtutum actiones, ad eam obtinendam & promerendam, assumat.

2. Petri. 1.5.6.7.

Eas Virtutes à quolibet iusto exercendas esse, ad quas vocatur: ac de seruore in exercitatione seruando.

C A P V T I I

NON Omnes homines iustos ad eandem vocationem fuisse vocatos, constans Ecclesiæ, & omnium fidelium rectè intelligentium sententia est, quam ex spiritu sancto per os Pauli loquente susceperunt. In cuius epistolis legimus: Et ipse, scilicet Christus, dedit

Ephes. 4. 11.

quosdam

quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & Doctores.] Quibusdam scilicet datum est ministerium Apostolatus, vt essent Ecclesie capita, & fidem per totum orbem disseminarent; aliis donum prophetandi, vt occulta detegerent, ac futura prædicerent; aliis onus euangelizandi, vt bonum nuntium Christi aduentus & legis gratia conserberent; aliis vt essent pastores & doctores, qui docendo, populos pascere, & pascendo, docerent. Non singulis data sunt omnia ministeria, sed singulis singula: Nam vnique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.] mensura autem non omnium donorum aggregationem, sed donorum partitionem designat, vt cuique propria quædam vocatio, proprium ministerium, ac donum obtingat. Et id quidem meritò, quoniam Ecclesia vnum est corpus, ex variis partibus membrisque compactum, quorum quodlibet non omnia munera, sed congruum sibi munus exercet. Si enim quoduis membrum omnia ministeria obiret ad vitam spiritualem pertinentia, non esset corpus ordinatum: & si singula membra vnum tantum ministerium haberet, non esset corpus perfectum: quare necessarium est ad ordinem, & perfectionem huius corporis, vt quodque suum munus habeat, vt cum aliis non tam munere quam amore conueniat. Si totum corpus oculus, ait Paulus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus omnia membra, vnum quodque eorum in corpore sicut voluit.] Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Multa, inquam, membra, non solum forma, sed actione distincta. Si enim omnes, inquit Anselmus, essent vnus officij vel operis, quomodo impleretur reliqua necessitas corporis, cum constet multis officiis opus esse ad gubernationem corporis? Nam Ecclesia superni capitis corpus est. In qua alius alta videndo, oculus: alius recta operando, manus: alius ad iniuncta discurrendo, pes: alius præceptorum vocem intelligendo, auris: alius malorum factorem bonorumque fragrantiam discernendo, naris est: Qui corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta officia impendunt, vnum de semetipsis omnibus corpus reddunt, & cum diuersa in charitate peragunt, diuersum esse prohibent, vbi continentur. Si autem vnum quid cuncti agerent, corpus vtique, quod ex multis continetur membris, non esset; quia videlicet multipliciter compactum non existeret, si hoc concors membrorum diuersitas non teneret.] Hæc ille.

Si autem hæc similitudo corporis aptissime fidelium varia ministeria patefacit, non minus varietatem vocationum ipsa Ecclesia natura substantiaque declarat. Nam Ecclesia est domus Dei; est Palatium summi regis, ad cuius splendorem & ornatum necessarii sunt multi serui, ad diuersa ministeria vocati. Quidam in rebus externis, quæ plurimæ sunt, Deo seruiunt, quidam in intima familiaritate cum rege, & in rebus interioribus occupantur: alij spiritu robustiores, munus vtrumque suscipiunt: & hi omnes ita sunt actibus & vocatione distincti, vt tamen sint pace & amore coniuncti.

Vniuersè verò iustorum vocationes, quasdam virtutes habent communes, sine quibus haud quaquam possunt rectè administrari; alias verò peculiare, quas hæc vocatio & hic status exigit, ille verò minimè requirit. Immo intra eundem statum, eandemque vocationem varia solent esse ministeria, quorum vnum ab vna virtute, aliud verò ab alia depèdet. Quod per compara-

tionem ad ministeria reipublicæ facile intelligitur. Omnia enim exigunt nonnullam prudentiam in agendis, fidelitatem erga maiores, æquitatē erga conciuēs. At robur corporis, & cor in periculis intrepidum est necessarium militibus, quæ nihil referet, si lenatoribus iustitiam administrantibus non adsint. Et peritia legum est necessaria iudicibus, parum autem attinet, quod milites sint notionis legum ac scientiarum expertes. Et sic discurrens per munera ciuitatis, facile perspiciet quædam vni ministerio esse vtilia, quæ alteri profus sunt inutilia. Ita in Ecclesia quædam sunt virtutes omni vocationi & statui ita necessaria, vt sine illis rectè geri non possit. Nam siue quis vitam actiuam, siue vitam contemplatiuam, aut mistam proficiteatur; siue temporalibus rebus intendat, siue doceat, aut confessiones excipiat, aut populo verbum Dei proponat, aut aliud quid faciat, non poterit, vt oportet, sine humilitate, sine fraterna charitate, sine patientia præstare, & sine aliis virtutibus similibus, quæ sunt spiritualis vitæ partes, & virum iustum constituunt, & animam sanctam exornant. Aliæ verò virtutes sunt, aut aliæ virtutum actiones, quæ vni statui omnino congruunt, & alij potius officiant. Vocatus enim ad solitudinem, iugem lectionem, assiduam psalmodiam, ad multas horas contemplationem exerceat: quod si vellet operibus misericordie vacare, discordes componere, carceres visitare, & alia munera similia actiuorum suscipere, manifestè deficeret. E contra verò ex vocatione curæ animarum additus, ad ea se applicet ministeria, quæ ad lucrandas animas instituta; at si curat, totum tempus in oratione & lectione collocare, quibus ab vtilissimis muneribus auocaretur, non profectum aliquem sed detrimentum incurreret. In his etiam, qui statum colunt, vtramque vitam, actiuam & contemplatiuam continentem, non minimas illusiones ex huius documentis prætermissione animaduertimus. Nam quidam eorum vna sui status parte neglecta, aliam nimia & immoderata cura suscipiunt: & ita negotiis & operibus misericordie se tradunt, vt tempora lectioni & meditationi destinanda surripiant. Alij delectantur ita studio lectionis & orationis, vt ferè nihil temporis in ministeriis animarum impendant. Vtrique errant; quia ita deberent Liam & Rachelem ducere, vt vtrique satisfacerent, & pro vnus amore alteram non relinquerent. Quid de aliis dicam, qui ad concionandum vocati non sunt, ad idque muneris talentum non habent, & quotidie volunt concionari? Vel ad docendum sunt inidonei, & ingenij claritate & subtilitate parum exulti, volunt tamen magistri nominari, & alios docere: Quid de aliis, qui naturali prudentia, & suauitate, & reliquis ad gubernandum carent, sed ambitionis specie decepti appetunt imperare, & aliis erinere? Hi omnes si in virtutis opera, ad quæ vocantur, incumbere, & aliena à sua vocatione prætermittent, maiori mentis tranquillitate & sanctitate pollerent. Quia Dominus, quos ad aliquod munus vocat, specialiter adiuuat, & vt in eo virtute semper crescant, efficit: quos autem ipse non vocauit, sed illi se ingererant, specialibus illis auxiliis destitutos dimittit. Ad quod verò ministerium quisque vocetur, non ex desiderio sensualitatis, nec ex ambitionis, aut curiositatis, aut propriæ quietis affectibus, sed ex obedientia ducti, & Prælatorum imperio, ex ecclesie electione non ab electo procurata, & ex diuina inspiratione, & ex mentis in omni virtute progressu cognoscitur. Si enim obedientia te ad munus suscipiendum moueat, & Prælati, qui ius habet præcipiendi, in eo te constituat, à Domino huiusmodi munus accipis, Prælati

manifeste dicente: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Si Ecclesia te, nec procurantem, nec desiderantem, nec cogitantem, immo nec somniantem, quin & timentem & reluctantem aliis præficiat, à Deo ipso præficeris, qui corda electorum mouet, vt dignum ministrum inquirant. Si assiduis inspirationibus ad statum perfectionis, vel ad munus aliquod salutis animarum exciteris, in quo non sit honor, sed onus; non requies, sed labor; non delectatio, sed abnegatio; signum est te à Deo ad illud munus inuitari. Si denique in his spiritus tuus adolescat, virtus proficiat, gustus celestium augeatur: si sentias, quia quotidie efficeris corde humilior, ad obediendum promptior, ad sustinendum mansuetior, ad proficiendum largior, ad diligendum & contemplan- dum purior, bene poteris cogitare, quia à Deo vocatus es, vt munus illud subeas, quod non tua voluntate, sed celesti nutu suscepisti, & in eo virtutis augmenta comparasti.

Vnusquisque ergo, non tantum virtutes omni statui vocationique communes, sed suo statui peculiari- bus diligenter exerceat, & earum actionibus ad perfectionem venire contendat. Ita illas amore & opere complectatur, vt istas non minori sollicitudine diligat. Illæ namque sunt veluti vitæ perfectæ fundamina, sine quibus non stabit: istæ veluti ædificationis partes, quæ si non adint, vita perfecta suum splendorem & decorem nequaquam obtinebit. Illæ sunt sicut panes, qui in omni conuiuio apponuntur: istæ quasi alij cibi, qui pro diuersitate regionum, aut temporum ab hominibus præparantur. Illas actiones oportet præstare, sed istas non omittere, quoniam tam istis, quam illis, Domini voluntati & imperio subicimur, proximos ædificamus, & mentis nostræ perfectionem prouehimus. Cui si aliquid necessarium deest, perfectio non erit. Quis autem dubitet, Spirituali conuersationi nostræ virtutes, etiam peculiari- bus status, ad quem vocati sumus, necessarias esse, sine quibus mutila & minus secunda persistit? Quin & illæ primæ virtutes omni statui communes, veræ non erunt, si ab actionibus peculiarium virtutum, proprio statui debitis, separentur. Neque enim vera obedientia erit, quæ nos ad omnia non expedit, & in rebus nostræ vocationis nos non facit patere: nec vera patientia, quæ incommoda ex statu emergentia non sustinet: nec vera humilitas, quæ occupationes humiles fugit, & mundi splendorem non proterit, & quem sancti & perfecti viri amplectuntur, timet subire contemptum. Virtutes ergo status peculiaris cuiusque diligenter sectandæ sunt, sine quarum actionibus in eo statu posito impossibile erit, vitam spiritualem perfectam obtingere. Nemo quippe in virtute proficit, qui Deo iubenti non parat, & suo Domino vocanti non responderet. Quomodo autem ille parat, qui studiosas actiones sui status proprias non explet, & dum ad eas à Domino internis instinctibus inuitatur, obsurdescit? De isto sanè ipse Dominus pronuntiare poterit, quod scriptum est in Iob: Seruum meum vocaui, & non respondit: ore proprio deprecabar illum. Seruum ille suum vocat, cum iustum, in aliqua vocatione positum, donis ad eam explendam accommodatis cumulat: seruus verò non respondit, cum dona illa in actionibus suo statui debitis non expendit. Hoc enim est quod dixit Gregorius: Vocat nos Deus, cum muneribus præuenit; respondemus verò vocationi eius, cum dignè iuxta precepta munera deseruimus. Ore suo deprecatur, cum per Prælatos, per quos Deus solet loqui, & cum

Iob. 19. 16.

Greg. 4. mor. c. 19

per interiores instinctus iustum de rebus ipsius statui atinentibus admonet, qui tamen cum eas ad actionem non elicit, quasi surdus efficitur. Qui tamen audire curaret, si ista peculiaria virtutis opera quanti momenti sint, sciret. Hæc namque eo ipso quod ad ea vocatus est, sibi sunt vtilia, & alia licet fortè meliora aut speciosiora, quia non exiguntur, & opera debita impediunt, sunt profus inutilia. Sed parum est dicere, quod sunt inutilia, quia etiam sunt noxia, & à regula discretionis aliena. Solitudo enim Anachoritis congruit; at tibi ad animarum lucra vocato nequaquam conuenit. Tibi ère est, prædicare opportunè, importunè, arguere, obsecrare, increpare in omni patientia & doctrina, illis verò hoc non est congruè, sed à turbis secedere, & os magis ad pallendū, quam ad prædicandū aperire. Huic rei non ineptè accommodare possumus quod Gregorius ad aliud propositum ait: Sape aliis officunt, quæ aliis profunt. Quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt, & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit, & panis, qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Eadem omnino ratione quædam opera secundum se bona, quibusdam sunt apta, quia eorum vocationi seruiunt, quibusdam inepta, quia minimè eorum vocationi & statui conueniunt. Duplex igitur, si volumus virtute proficere, nos cura sollicitet, altera, vt virtutum opera, omnibus communia, diligenter exerceamus, altera, vt virtutum opera nostro statui peculiaria sectemur. Illæ nos studiosos vitæ Christianæ, istæ studiosos perfectioris status, quæ in vita Christiana sortiti sumus, efficiunt. Et ex vtrarumque virtutum operibus vna vita spiritualis perfecta coalescet, quam Christus gratissimam habebit, & præmio tandem perfectorum afficiet.

Tam hæc virtutes particulares, quam illæ communes feruidè & diligenter exercendæ sunt, quia augmentum earundem virtutum his actionibus procuramus, & quia magno vniuersi Domino & creationi seruiamus. Virtutes autè (vt ipsum experimentū parui profectus nostri euidenter ostendit) actibus remissis non crescunt, & spirituales viri, qui ad diuinum obsequium, non timore, nec præmio, sed amore incitantur, non oscitantur, sed strenuè ac feruidè illi deseruiunt. Illa virgo Beatissima, omnis sanctitatis ac virtutis exemplar, abiit in motana cum festinatione, & que adueniente in eam igne Spiritus sancti, splendorem Patris conceperat, ab eo expedita & agilis facta est, vt posset ad excelsa festinare. Christum etiam iusti si non carne, at gratia cõcipient, à quo expediti redduntur, vt possint ad perfectionis montem ascendere, rumpant moras, & torporem excutiant, gressibusque studiosorum operum non lentè se moueant, sed celeriter & festinanter ascendant. Ille, quem animo gestant, nominibus festinationis vocatus est. Voca nomen eius, inquit, Accelera spolia detrahere: Festina prædari; Jv & ipsi iusti sciunt, quia debent celeriter obsequi, & festinanter operibus salutis insistere. Qui potuit spoliare infernum, & nos celeritè è potestate demonis possidentis eripere, potens est etiam, seruoitem, & celeritatem ad cooperandum nostræ salutis tribuere. Quid nos detinet, quid nos remoratur, si talem adiutorem habemus, cuius potestas mouet, voluntas seruorem præcipit, & nomen ipsum eius ad sollicitudinem in nostro profectu & festinationem inducit? Annon potestas eius seruos suos & iustos suos celeriter mouet: de quo canit David: Qui facis Angelos tuos, spiritus, & ministros tuos, ignem vrentem. Spiritus suos, id est, spirituales

Greg. 3. p. pastoral. cura in prologo.

Lucia.

Ista. 8. 3.

Psal. 103. 5.

viros,

De 12. Tom

viros, Angelos, id est, nuntios suos facit, quia eos, qui spiritu viuunt, & spiritualia sectantur, ad ministeria animarum conuertendum assumit. Et hos spiritus ac ministros suos facit ignem videntem, quia facit ut in bonis operibus spiritu ferueant, & postquam in seipsis accensi fuerint, alios quoque eodem igne charitatis & feruoris absumant. Exponit Augustinus quoniam sint isti Angeli & ministri Dei, quorum ope ignis spiritualis in cordibus fidelium accenditur. Quomodo accipimus, inquit, qui facit Angelos suos, spiritus, & ministros suos, ignem flagrantem? Spiritus spirituales dicit. Bene facit Angelos suos spirituales, id est, nuntios verbi sui. Spiritus enim omnia iudicat, ipse autem a nemine iudicatur.] Vide spiritalem factum Angelum Dei. Non potui, inquit, vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.] De spiritali quadam affectione missus est ad carnales, tanquam Angelus de caelo ad terram. Quomodo dicit: Et ministros suos, ignem flagrantem, nisi quomodo dicit, spiritu feruentes? Sic enim feruens spiritu, ignis ardens est omnis minister Dei. Nonne ardebat Stephanus? Quo igne ardebat? Et quis ille ignis erat quando lapidabatur, & pro eis, a quibus lapidabatur, rogabat? Cum audis, ignis est minister Dei, incensurum illum putas? Incendat licet, sed fenum tuum, id est, carnalia omnia desideria tua, vrat minister Dei praedicans verbum Dei. Audi illum: Sic nos exilimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.] Quomodo autem ardebat, cum diceret: Os nostrum patet ad vos, & Corinthij, cor nostrum dilatatum est.] Ardebat & flagrabat charitate, & ibat in eos, ut incenderet. Hunc ignem se missurum Dominus in terram dicebat, cum ait: Ignem venit mittere in terram. Quomodo gladium, sic ignem. Gladius diuidit affectum carnalem, ignis absumit. Totum in verbo Dei intellige, totum in spiritu Dei cognosce.] Hac ille. Igitur potestas Dei est, quae iustos feruore complet, ut & ipsius Dei efficacitatem imitentur, & virtutibus, quae actionibus feruidis crescunt, augeantur, & alij eorum doctrina exemploque a malo in bonum mutantur.

Feruorem etiam in studiosis actionibus suae voluntatis ostensione praecipit Dominus, qui ad sponsam suam, nempe ad iustam animam, in Canticis ait: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.] Si solum a peccato surrexit, & gratiam comparauit, amica quidem erit, anima, sed profecto columba non erit. Quomodo enim columba, quae non per aerea pennas feruoris volat, sed super terram lentis tepiditatis gressibus reptat? Illi ergo volandum est, seu feruore properandum, ut columba dici mereatur. Sed si tantum a peccato surgat, & per feruorem vtrumque properet, iam amica & columba erit, sed formosa non erit, nisi etiam in sancto & discreto seruire perseveret. Feruor namque perseverans, sicut calor perseverans, foeditates spiritualis liquoris, id est, humanae conuersationis, absumit. Ergo, in feruore persistendum est, ut anima de pulchritudine adepta laudetur. Atque adeo illi mandatum feruoris indicitur, ut non solum amica, id est, incipientis appellationem audiat, sed columbae etiam & formosae, id est, proficientis & perfectae nomen acquirat. Et fortassis hoc Dominus mystice indicare voluit, cum per Isaiam clamat: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate: emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.] Nam si vinum formosae, & lac columbae tribuamus, & in

A vino perfectionem animae, in lacte vero eiusdem profectum meditemur, iam festinatione, siue feruore, vinum & lac, id est, perfectionem & profectum, obtineri comperiemus. Sitientes, id est, feruentes, ad aquas veniunt, qui vero frigent, seu algent, aquas gratiarum habere contemnunt. Argento carentes, id est, pauperes & humiles, qui se omni bono vacuos putant, ad emendum properant, & sine argento, ac sine vlla commutatione, sed solis precibus, & gemitibus, & assiduo sanctarum actionum feruore profectum animarum & perfectionem comparant. Festinemus igitur, inquit Paulus, ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.] Illa enim requies verè magna, verè admirabilis, & incomprehensibilis, quae timentibus Dominum parata est, non haerentibus in luto rerum terrenarum, sed celeriter currentibus patet. Et similiter atrium eius, nempe huius vitae perfectio, unica in hoc tempore animae requies, non oscitantes, sed festinantes & feruidè operantes admittit. Qui non festinat in eam ingredi, in quoddam incidit incredulitatis exemplum, dum quodammodo similis incredulus & impius efficitur. Sicut enim antiqui illi Israelitae, Deo increduli, & de eius promissione desperantes, quia breui tempore post egressum ex Aegypto substituerunt; quadraginta annis per desertum vagati sunt, & tandem ab ingressu in terram promissionis depulsi: ita qui tepidè se gerunt in inquisitione verè requiei, quasi per desertum suarum imperfectionum vagantur, & nunquam ad perfectionis requiem perueniunt. Hi interdum magna ex ambitione aggrediuntur, quae Deo inuisa sunt, quoniam prava intentione vitata, cum tamen feruidi in minimis illi placeant, quia ea ex rectissima intentione & ex feruore praestant. Egresso Esau in agrum, ut ad cibandum patrem feram aliquam apprehenderet, vocauit Rebecca Iacob, dilectum suum, dixitque illi: Pergens ad gregem, affer mihi duos haedos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur.] Sciens videlicet suauitatem ciborum non tam in eorum nouitate, quam in modo condiendi & parandi consistere. Et Iacob obediens, communibus cibis patri placuit, & benedictionem praeripuit. Sic multi communia, & minima opera tanto feruore, & tam pia Deo placendi sollicitudine faciunt, ut eius gratiam & benedictionem accipiant, cum tamen alij in maioribus laborantes, quia non strenuè & rectè operantur, benedictionem, quam optabant, minime consequuntur.

Ipsium quoque nomen Domini ad tenendum in sanctis actionibus feruorem impellit. Vocatum est enim nomen eius Iesus, I quod Saluatorem vel salutem significare cognouimus. Quis autem oscitantes ac negligenter salutem inquirat? Certè si corpus aliqua aegritudine aut dolore tangatur, statim accersimus medicum carnis, & diligentissimè eius iussa, licet difficilia, capessimus. Venarum nostrarum scissionem, sanguinis emissionem, potionum insuauitatem, emplastrorum molestiam alacriter sustinemus, ut salutem carnis perditam, & post modicum perituram, resumamus. Sed Christus salus est mentis, & eius imitatio, omnium morborum spiritualium depulsio: quanto igitur esset desiderio appetenda, quanto feruore, & sollicitudine bonis actibus quaritanda? Difficile est, assueti relinquere, & ex imo desideriorum terrenorum ad virtutum excelsa transire, sed amor erga Deum facit, ut non id cum desidia, sed cum feruore & alacritate praestemus. Quare Oseas ait: Et canet ibi, nempe in solitudine, iuxta dies iuuen-

Aug. ib.

1. Cor. 2. 15.

1. Cor. 3. 1.

Rom. 11.

11. Act. 7.

1. Cor. 4. 1.

1. Cor. 6. 11.

Cant. 2. 10.

Isaia 55. 1.

Hebr. 4. 11.

Gen. 27. 9.

Luc. 2. 21.

Osee 2. 15.



turis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.] Nam quamvis spiritualis anima, in solitudine amicorum & rerum, quæ ei placebant, sua conuersatione resideat, quamvis ascensionis difficultatem, ex vita distracta & libera ad vitam perfectam & Euangelicis consiliis additam, sentiat, tamen ibi ex feruore canet, & non tristis, sed læta iter hoc peraget, & per vias mortificationis duras exultanter incedet. Id quidē meritō, quoniam salutem & salutem, non iam corporis, sed sui ipsius, & salutem non aliquando desitutam, sed semper mansuram, inquit. Pastores Bethleem audito huius salutis aduentu, ad eam cum magna auditate properant, & ideo digni facti sunt eam inuenire, videre oculis, brachiis astringere, & suauissimo amore complecti. Venerunt, inquit, festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Primō festinant, deinde inueniunt, quia festinandum nobis est, & ingenti feruore properandum, ut hanc salutem magnam inuenire possimus. Et ideo fortē nonnulli querentes, inquit Beda, inuenire non merentur, quia desidiosē Christum requirunt. Quasiuit aliquando sponsa hanc salutem tepidē, & minimē inuenit, surrexit, desiderium excussit, feruorem concepit, & statim transcurtis vigilibus eum quem cupierat, meruit inuenire. In lectulo meo, inquit, per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Quamobrem, o anima, Deo consecrata, tuum sponsum ac tuam salutem non inuenis, nisi quia in frigore nocturno, & in desidia lectuli quærās: Si illum in feruore dici, & in itinere sanctarum actionum quæsiuisses, utique illum post non multum temporis inuenisses. Surgam, ait, & circuibō ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Hæc resurrectio, qua à torpore surgis, hic circuitus, quo per feruorem vniuersa lustras, & nullum non lapidem moues, ut profectum inuenias, indicium magni boni est. Denique tu ipsa testis es, quia, postquam occurristi vigilibus, id est, Prælati, ex quorum ore rationem proficiendi audisti, & cum quibus tua desideria contulisti, statim inuenisti quem diligis.

Necessaria est ergo intenta sollicitudo, necessarius est feruor in virtutum actionibus collocandus, ut ad augmentum earum, & ad optatam salutem, in Christi perfecta imitatione positam, veniamus. Nam & sapienter dixit Chrysostomus: Opus est vigilantia dilecti. Nam & miles dormit, non in lecto sed humi; piscator non dormiens piscatur, sed stans aliquando peragit noctem. Agricola omnem exhibet vigilantiam, ne domini vinea lædatur. Et pastor sub dio stans, noctem consummat, gregem custodiens, sicut Jacob dicebat: Futardens ætu per diem, & gelu per noctem, & somnus recesserat ab oculis meis. Et quæ ipsius vigilantiæ ratio? Ne vlla ovis fera captiua fieret. Si verò rãta de irrationali pecude cura, qualem esse decet de rationali anima sollicitudinem gerentis: anima, inquam, omnium preciosissima, nec æquitalem totum pariter orbem habente, quæ simul nobiscum refurgit, pariterque defenditur, & diuino tribunali simul assiluit. Hæc ille. Curemus igitur diligenter salutem animæ nostræ, & cum magna sollicitudine eam virtutum donis exornemus: sciamusque hoc esse instrumentum virtutis assequendæ præcipuum, eius diligentem assiduamque exercitationem, & iuxta virtutum rationes, & regulas humanæ conuersationis institutionem. Qui vult igitur virtutes acquirere, quæ sitas augere, auctas vsque ad perfectionem prouehere, frequenter, quoad fieri possit, in actiones earum, tum exte-

riores tum interiores, incumbat. Eas omnibus numeris absolutas eliciat, feruidē & tranquillē præstet, ita scilicet ut nec immoderatus feruor anxietatem & distractionem inferat, nec internæ tranquillitatis cura feruorem imminuat. Ac tandem his actionibus virtutum inhæreat, quæ propriæ sunt vocationis suæ, ut sic Dei voluntati, has actiones primo loco poscēti, se accommodet, & inueniatur in eo, ad quem vocatus est, statu, perfectus.

Decimum Instrumentum, nulla occasionis exercendæ virtutis omisso.

CAPVT IV.



De argumentum de occasionibus proficiendi captandis, supra à nobis pro necessitate materiæ explicatum est, sed quod tunc in quadam generalitate diximus, nunc ut instrumentum assequendarum virtutum, sicut re vera est, ad easdem applicamus. Curæ autem nobis erit, nihil repetere, sed quanta sit instrumenti huius utilitas, & quis vsus adhibitis nouis rationibus confirmare. Non satis est igitur, utcumque exercere virtutes, ut earum possessores simus, sed occasiones nobis oblata eliciendi virtutum actus, omittendæ non sunt, & si non offerantur, auide queritandæ. In rebus enim humanis necessarium id esse, omnibus attentē considerantibus compertum est. Nam & dux belli, si occasionem hostem vincendi polthabeat, solet ab eo vinci, & miles in congressu cum alio, nisi tempestiuè se tueatur, & ictum repellat, occiditur: & mercator si tempora emendi vendendique peruertat, non minimum suæ substantiæ detrimentum experitur. Sic & in rebus spiritualibus homo, si occasionem virtutem exercendi prætermittat, quam vult acquirere, aut vulnus vitij contrarij patietur, aut damno profectus amissis tristabitur. Quantum autem sit damnum, hoc experta fuit sponsa, quæ, quia sponso celeriter non aperuit, eius suauissimo amplexu mansit orbata. Copiam ingrediendi aliquando fecit dilecto suo: Nam pessulum, ait, ostij mei aperui dilecto meo. Sed quia non tempestiuè aperuit, & occasionem admittendi sponsum perdidit, ipsius etiam aspectum, alloquium, & amplexum amittit. Denique ipsa tardè & morosè aperiente, ille declinauerat, atque transierat. O lamentabile detrimentum, discessisse sponsum, & animam, quia oblata occasione non vsa est, solam ac desolatam fuisse relictam! Venit sponsum ad nos, cum nos ad opera humilitatis, charitatis, & obedientiæ vocat. Ingressum ei negamus, cum occasiones harum ac similibus virtutum, ab eo datas, negligenter prætermittimus. Pessulum tollimus, cum importunitis inspirationibus tacti de elapsa occasione rectè operandi dolemus. Tunc tandem aduertimus illum simul cum occasione virtutis exercendæ contempta transiisse, & ab habitaculo mentis nostræ, quod ob negligentiam nostram meritō ille vacuum reliquit, ad alium fratrem sedulum & strenuum, qui virtutem exercuit, declinasse. Quis hanc iacturam non doleat? Quis tantam ofitandiam non debeat, ob quam meritum gratiæ, & præmium gloriæ videt ereptum? Homines huius sæculi acerbissimè desent, si occasionem discedendi, aut dignitatem quampiam acquirendi, è

manibus

Luca 2.
16.

Beda. ib.

Cant. 3.
1.

Cant. 3.
2.

Chrysost.
hom. 22.
ad populum
An-
tiochenū.

Gen. 31.
49.

Cant. 5.
6.